24

Q. B. C. D.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS DE

DYSENTERIA,

QUAM ADSPIRANTE DIVINI NUMINIS GRATIA EX DECRETO ET AUTHORITATE GRATIOSISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ

IN ALMA ARGENTORATENSIUM UNIVERSITATE

PRO LICENTIA

SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES ET PRIVILEGIA DOCTORALIA RITE CAPESSENDI

SOLENNI ERUDITORUM EXAMINI

SUBMITTIT

PETRUS CAILLET,

Colmarienſis.

AD D. 2 AUGUST. M DCC XXXIV.

H. L. Q. S.

ARGENTORATI,

TYPIS, JOHANNIS HENRICI HEITZII.

DEO,
PATRIÆ,
PATRONIS,
PARENTI ET
AMICIS
SACRUM.

NOBILISSIMO ATQUE PRÆCELLENTI

DOMINO CANDIDATO,

FAUTORI ATQUE AMICO SUO ÆSTUMATISSIMO

Πᾶν εὐτύχημα

JOH. CHRISTIANUS EHRMANN, Med. D.

T*Errigenam*, **Aristoteles** *cum diu multumque contemplatus, licet tandem exclamarit;* Ω ἄνθρωπε, τολμηροτάτης τῆς Φύσεως ἄγαλμα; *non tamen is ab innumeris injuriarum incurſionibus, quibus tanquam procellis laceſſitur, liber, eſſe potuit. Variis obnoxius eſt affectibus, infinitæ ſuam in eo ægritudines exercent tyrannidem, humoribus, tum quantitate, tum qualitate peccantibus infeſtatur. E morbis igitur, qui mortales, corripere ſolent, innumerabilibus penè, placuit Tibi,* Nobiliſſime Domine Candidate, *producere Dyſenteriam, affectum, quo vix unus eſt, qui ſive invaſione frequentior, ſive cauſarum differentiâ mutabilior, ſive graviſſimorm Symptomatum*

comitatu periculoſior exiſtat. Ita vero in thematis hujus tractatione verſatus es, ut genuini Artis Apollineæ filii titulum Te dudum jam promeruiſſe, luculentiſſimum cuivis præbeas argumentum. Equidem probe novi, Te, cum labor ad finem jam eſſet perductus, in aliud plane thema incidiſſe elaborandum, eò quod plurimæ de hac materia ſcriptæ jam reperiantur Diſſertationes: ſed tenuiſti tandem propoſitum, motus Galeni *atque* Senecæ *monito: quorum Ille haud inutile eſſe inquit, eorum, quæ cognitu in Arte Medica maxime ſunt neceſſaria, crebram facere mentionem: Hic vero, quæ ſalutaria ſunt, atque crebro accidunt, ſæpe agitanda, ſæpe verſanda præcipit. Nec quicquam moraris plurimorum hodie conceptam opinionem, & pro ea de aliis judicandi conſuetudinem, nihil ſc. laude dignum ſimili in negotio ſe præſtitiſſe, niſi vel novitiam aliquam materiam elegerint, vel varias, recentes quidem, at monſtroſas maxime opiniones ambitioſe propoſuerint, non inquam, hæcce moratus es, ſuo quemque abundare permittens ſenſu. Gratulor itaque Tibi,* Nobiliſſ. D. Candidate, *de eruditione egregiâ & Vitæ, quibus nobis innotuiſti, genere optimo. Perge proſequi has vias, quibus laudabiliter hucuſque inſtitiſti, & germanam Medicinam, uti coluiſti, porro excole. Habebit ſic illuſtris Patria* πωλλῶν ἀντάξιον ἄλλων, *de quo jam dum non vanam ſpem concipit. Jatriarcha Deus Tibi petenti annuet, quo Sua gloria, Nobiliſſimæ Parentis atque Maxime Reverendi Domini Fratris lætitia & proximi ſalus læta ubertate exhilarentur. Vale.*

Perſcr. Argentor. d. IX. Cal. Jul. MDCCXXXIV.

PRÆ-

PRAEFAMEN.

S*Anus homo*, uti CORNELIUS CELSUS *de Re Med. l.* 1. *cap.* 1. opinatur, *qui & bene valet, & ſuæ ſpontis eſt, nullis obligare ſe legibus debet, ac neque Medico, neque Jatrolipta egere. Hunc oportet*

varium habere vitæ genus, modo ruri eſſe, modo in urbe, ſæpiusque in agro, navigare, venari, quieſcere interdum, ſed frequentius ſe exercere; ſi quidem ignavia corpus hebetat, labor firmat. Illa maturam ſenectutem: hic longam adoleſcentiam reddit. Prodeſt etiam interdum balneo, interdum aquis frigidis uti. Nullum genus cibi fugere, modo in convivio eſſe, modo ſe ab eo retrahere. Modo plus juſto, modo non amplius aſſumere &c. Quæ verba cum grano ſalis eſſe accipienda nemo non videt. Eos vero qui ventri, gulæque, dediti ſunt, qui libidinoſi, qui aliis vitiis obnoxii, mancipia eſſe, & ſervitutem ſervire turpiſſimam, quis eſt, qui inficiabitur? hinc eſt, Platonis illud in Charmide quod repetunt Plutarchus & Stobæus. Quam multi igitur atque fere innumeri (ut de ingurgitatione ciborum corpori præprimis minus accommodatorum ſolum-

lummodo dicam) morbi ex ea ſurgant, effari vix poſſum, eorum quippe talis eſt multitudo, ut ex VIRGILII *lib.* 6. *Æneid.* paucis mutatis dixerim:

Non mihi ſi linguæ centum ſint, oraque centum
Ferrea vox, morborum omnes comprendere formas
Omnia cauſarum percurrere nomina poſſem.

Inter hos autem tædia vitæ & periculum minantes affectus caput extollit DYSENTERIA, de qua, quum anni tempus, quo morbus hic ſonticus præcipue graſſari ſolet, immineat atque appropinquet, impræſentiarum, quantum vires tenues permittent, agere quædam conſtitui Pauca ſunt quæ propoſui, nec volui plura: plura qui deſiderat Authores conſulat, qui fuſius hunc morbum lite-

literarum monumentis conſignarunt. Quod ſi autem Benevolus Lector non omnia tacta aut rite expoſita deprehenderit, cogitet, magnarum rerum quamvis ſucceſſus non fuerit, ipſum tamen conatum non eſſe vituperandum. Ut vero omnia feliciter cedant & eveniant faxit Altiſſimus.

J. N. J.

§. I.

CUm primum & neceſſarium maxime bene definiendi, feliciter diſputandi & accurate res quaslibet cognoſcendi principium ſit dilucida vocum explicatio, uti eleganter Philoſophorum antiquiſſimus ARISTOTELES *Lib. 8. top. cap. 2.* nos docet, haud ineptum erit, ut ante omnia diſpiciam, quid per dyſenteriam proprie intelligatur. Derivatur autem teſte GALENO *l. 6. de loc. aff. c. 2.* hæc vox dyſenteria à parte affecta & læsa, nempe ab inteſtinis, quæ græco idiomate τὰ ἔντερα appellantur, & ἀπὸ τῶ δύς, quod in compoſitione denotat difficulter, ægre; vel etiam male & infeliciter: imò referente *Jul. Cæſ.* SCALIGERO *comm. in Ariſtot. de Hiſtor. Animal. l. 10. c. 48.* non tam difficultatem, quam morbi malitiam innuit. Germanis ob fluxum Sanguineum die Rotheruhr, die Darmruhr / das Rotheweh; Gallis la Dyſenterie ou Flux de ſang audit.

§. II.

Vox hæc generaliter ſumta juxta GALENUM *lib. 3. de*

Cauſ. Sympt. c. 2. quosvis alvi fluxus ſanguineos p. n. denotat. Sumitur hinc pro fluxu quoque cruento, qui fit vel ob ſuppreſſionem menſium & hæmorrhoidum, vel ob abſciſſum aliquod membrum, vel hæmorrhagiam conſuetam ſuppreſſam: hinc CASP. HOFFMANNUS *l.* 3. *inſt. Med. c.* 149. §. 1. Δυσεντερίαν κατ' ἐξοχὴν difficultatem inteſtinorum appellat.

§. III.

Dyſenteriam proprie & ſtricte ſic dictam, miſſis jam dictis denominationibus, conſideraturus definio: quod ſit *alvi dejectio frequens, cruenta, atque mucoſa, ventrem magnis doloribus atque cruciatibus affligens, à materia acri continuo irritante & rodente, cum inteſtinorum quandoque exulceratione, originem trahens.* Ex hac definitione colligere licet dyſenteriam morbum eſſe & per conſequens aliquid præter naturam; cum autem tria præcipue exiſtant, quæ corpori noſtro præter naturam contingunt, morbus nimirum, cauſa morbi & ſymptoma, cui horum annumerandum ſit, genus in definitione oſtendet. Dicitur vero dejectio alvi, frequens non ſolum modo, ſed & cruenta atque mucoſa; unde patefit, quod ad vitia excretionis, adeoquo ad ſymptomatum claſſem pertineat. Sunt quidem qui cum SEBIZIO *Exerc. Path. p.* 407. dyſenteriam pro morbo habent, inque patrocinium ſui aſſerti allegant HIPPOCRATEM *lib.* 3. *de diæt. ſect.* 19. §. 17. affectum hunc νοῦσον morbum appellantem; qui tamen ſi inter morbum late & ſtricte ſic dictum diſtinxiſſent, aliter forſan ſenſiſſent. Conf. quoque SCHENKIUS *Synopſ. inſtit. Med. p. m.* 147.

§. IV.

Ex modò tradita definitione morbi natura apparet. Dividitur ordinariè dyſenteria inbenignam & malignam, ubi illa ab hac in eo differt, quod febrem quidem conjun-

junctam habeat non admodum tamen urgentem, hanc vero febris acuta ſemper concomitetur. Diſcernitur porrò dyſenteria à diarrhœa, in qua ſeroſa atque bilioſa excrementa ſecernuntur, à paſſione cœliacâ, ubi chylum ſolito craſſiorem egerunt patientes; à lienteria, in qua cibi non multum mutati & fere crudi eliminantur; à fluxu hepatico, ubi nullus plane adeſt dolor, & excrementa inſtar loturæ carnium emittuntur; à cholerâ quod in illâ ἄνω καὶ κάτω ejectio contingat; à fluxu hæmorrhoidali, ubi ſanguis juſtô majori in quantitate emanans ægrum levat, cum è contrario id ipſum in dyſenteria malum exaſperet. Alia porro reſpectu materiæ excretæ alba eſt, alia rubra; alia ſporadica, alia denique epidemica.

§. V.

Subjectum primarium hujûs affectus conſtituunt inteſtina, modo tenuia, modo craſſa, modo utraque; ſecundarium verò, & per conſenſum aliæ quoque partes, e. g. ventriculus, omentum, nonnunquam etiam concurſu accidentali thorax. Hippocrates *lib. 3. de diæt. ſect. 19. §. 14. & ſeqq.* ita infit: *Ubi corpore calefacto purgatio acris fit, tunc & inteſtinum raditur, atque exulceratur & ſanguinolenta excernuntur.* Hæc autem dyſenteria, à malâ inteſtinorum affectione nominatur. Pergameni verba ſic ſe habent: *ægrotat autem etiam inteſtinum & raditur atque exulceratur.* Variæ quoque Medicorum obſervationes ex inciſione cadaverum factæ aſſerti veritatem luculenter demonſtrant. Legi hac de re mererur Bonetus *in Sepulchret. lib. 3. ſect. 11. p. 853. ſeq.*

§. VI.

Afficiuntur autem inteſtina tam tenuia, quam craſſa, uti §. anteced. innui, & quidem modo ſeparatim, modô conjunctim. Dolæus *in Excyclopæd. Med. l. III. cap. 5.* Se ſex dyſentericorum cadavera diſſecuiſſe teſtatur, ubi tenuia æque ac craſſa tuberculis purulentis obſeſſa animadvertit,

vertit, illaque nigra & hinc inde ſphaceloſa: in uno eorum quoque pylorum ventriculi, ſphacelo correptum deprehendit. Vid. quoque FORESTUS *lib.* 22. *obſ.* 33. Et ETMÜLLERUS *prax. part.* 1. *lib.* 1. *ſ.* 9. *c.* III. *art.* 1. Secundum vaſa & tunicas autem inteſtina pati, nullus dubitabit; has quippe partes continui ſolutionem eo in caſu ſubire, ratio dictitat atque experientia. Quod verò glandulæ inteſtinales immunes non permaneant, probant MISCELLAN. CURIOS. MED. *dec.* 2. *ann.* 3. *obſ.* 187. Meſenterii glandulas pure refertas vidit FALCOBURGIUS. apud TH BARTHOLINUM *Cent.* 6. *Hiſtor. anat.* 2. Ventriculum corruptum, Omentum, item Thoracem, atque Pulmones per conſenſum inflammatos obſervavit HOLLERIUS *lib.* 1. *de morb. intern. c.* 43. Utrum autem totus inteſtinorum canalis ſimul inflammetur & exulceretur? quæritur: alii dicunt quod ſic, alii verò quod non; ego affirmantium vices gero atque dicere audeo, quod in vigore hujus affectus utique inteſtina omnia inflammationem patiantur. Quod tamen non ita intelligi velim, ac ſi omnis inteſtinorum ſubſtantia exulceretur, ſed quod ſaltem quibusdam in locis vitio tali corripiantur.

§. VII.

Quum indicationes curativæ ex ætiologia morborum in methodo medendi debeant deſumi imò cardo totius rei in cognitione cauſarum vera hæreat, nec absque tali Medicus methodice unquam curare poſſit, quædam de iis proponenda erunt. Immediatam itaque affectus noſtri cauſam exprimit irritatio continua à materia acri ſalino ſulphurea, tum acida tum ſalsa, fibras rodente, pungente, vellicante, atque dilacerante, ut ſic vaſorum orificia in inteſtina hiantia erodantur atque aperiantur. Quo autem indoles hujus irritationis melius pateſcat, inteſtinorum exulceratio unâ perpendenda eſt, utpote per

quam

quam omnes ferè Medici dyſenteriam deſcribere conſuevere. Equidem probe novi, inveniri quosdam, qui exulcerationem inteſtinorum ob rationem, quod membranaceæ ſtructuræ ſint, fieri planè non poſſe exiſtimant, inter quos caput facilè extollit HOLDERHOFFIUS *Tr. de Error. Med. c.* 33. ſed fieri illam poſſe, imò debere, ratio, experientia, atque avtopſia anatomica ſatis probat; & quamvis non ſtatim appareat, proinde tamen non neganda eſt, ſi modo diſtinctionem inter dyſenteriam inchoatam & perfectam inſtituamus. Recte hinc HERC. SAXONIA *in Prælect. Pract. part.* 2. *c.* 13. in fiente inquit ulcus nondum adeſt, facta vero ſemper eſt cum ulcere. Provocant porro ulceris exiſtentiam negantes ad GALENI dictum, qui *lib. de cauſ morb. c.* 11. ulcus in partibus carnoſis non vero membranoſis exiſtere, pronuntiat. Sed id plane me non ferire quis non videt? nonne omnes Anatomici uno ore confitentur, inteſtina tunica quoque gaudere carnea? Si ergo hoc verum, uti verum eſt, facilè concludimus, ulcus utique hic gigni poſſe; ut taceam ulcera interdum cutis, & nervorum ipſa experientia teſte procreari. Vid. GALENUS ipſe *lib.* 1. *de loc. affect. c.* 1. *& lib.* 6. *Epidem. comm.* 2. *&* 4. *Aphor. Comm.* 24. *&* 26.

§. VIII.

Devolvor ad cauſas mali mediatas atque proximiores, quas προηγουμένας & internas alias nuncupant Authores. In doctrina de humoribus has cauſas quærendas eſſe in confeſſo eſt; acres quippe hi ipſi humores atque mordaces tales particulas tum temporis in ſinu fovent, quæ cum ſanguine per circulationem ad inteſtina delatæ, tandem in ipſis inteſtinis portam ſibi aperiunt, ibique ſcenam ludunt. Duplex autem humorum genus ab HIPPOCRATE *lib de loc. aq & aer. ſect.* 5. *tx.* 5. *&* 6. Et GALENO *comm. in Sect.* 3. *aph.* 12. accuſatur, alterum bilioſum, alterum verò

pituitoſum. Per bilioſos ſanguis bilioſus, bilis excrementitia, æruginoſa, aduſta atque porracea innuitur. Dubium interim movet GALENUS *lib. 5. de V. P. c. 3.* utrum inteſtina, cum maxime exquiſito ſenſu donata bilem etiam naturalem deſcendentem ſtatim ſentiant atque expellant, à materia acri celeriter expulſa exulcerari queant? & reſpondet: Tranſitu & circumvolutione utriusque bilis acris id fieri, pituitam verò ſæpè inteſtinis inhærere; hincque ſalſugine putreſcente contracta exulcerare: per pituitoſos verò humores, tales, qui ob putredinem, vel admiſtionem ſeroſæ humiditatis ſalſi ſunt, intelligi debent.

§. IX.

Ad cauſas mediatas remotiores ſeu procatarcticas res, à Medicis non naturales dictæ, referendæ ſunt: ubi primò occurrit aër ambiens, qui mire corpus alterare & pro temperiei ratione varios morbos producere valet, *Hyems ſicca & aquilonia* juxta HIPPOCRATEM *S. 3. aph. 11. Ver autem pluvioſum & auſtrale ſi fuerit, neceſſum eſt æſtate febres acutas fieri & ophthalmias & dyſenterias, maxime autem mulieribus & viris natura humidis.* Ita & *aphor. 12. 16. & 22.* ait; *Autumno autem & multi ex æſtivis & febres quartanæ, & erroneæ, & lienes, & hydropes, & tabes, & urinæ ſtillicidia, lienteriæ & dyſenteriæ, &c. gignuntur.* Videmus luculenter, cur epidemice morbus hic graſſetur; latet enim aliquando in aëre malignitas & venenoſa quædam qualitas, à quâ dyſenteria, præſertim contagioſa ut plurimum cauſatur: aër quippe miasmatibus impuris & malignis refertus, inſenſibiliter in corpus repit, ibidem ſe inſinuat, atque virus ſuum nocivum M. S. communicat eamque totaliter corrumpit. Quâ de re dignus eſt qui legatur BOHNIUS *Medit. Phyſ. Chym. de aëris in ſublun. influx. c. 1.* Vid. quoque FORESTUS *lib. 22. obſ. 38.* notatu digniſſimum eſt, quod regionibus quibusdam dyſen-

teria eſſe ſoleat endemia, ſicuti de Hibernià teſtatur SYDEMHAMUS *oper. ſect.* 4. *c.* 3.

§. X.

Alimenta porrò, quæ vel facilè putreſcunt, vel inducta cruditate acredinem & mordacitatem concipiunt, ut ſunt fructus æſtivi atque autumnales facilè putreſcentes, horæi ideo dicti, nempe pruna, mori, mala perſica, nimius uvarum eſus, pepones, cucurbitæ, cucumeres &c. haud rarò dyſenteriam excitant. Teſtatur id Juvenis ille propter nimium uvarum eſum in hoc malum incidens, apud FORESTUM *l.* 22. *obſ.* 31. Ex eſu Braſſicæ capitatæ noxio rore infectæ, lethalis inducta dyſenteria recenſetur in *Miſcell. Med. Curios. Dec. I. Ann.* 3. *obſ.* 88. aquam porrò in plumbeis vaſis deſtillatam hunc excitare poſſe affectum refert GALENUS *l.* 7. *loc. affect. c.* 2. *&* 3. *de Cauſ. Sympt.* Ex vino ſaltem & aceto, in vaſis cupreis & plumbeis ſervato obortam dyſenteriam obſervavit HILDANUS *Cent.* 2. *obſ.* 100. ac licet vinum in ejuſmodi vaſis non fuerit aſſervatum, tamen recens, nondum defœcatum, dulce, ut & auſterum eundem producere effectum, æquè ac muſtum pyraceum, valet. Vid. HILDANUS *l. c. p.* 670.

§. XI.

Poſſunt ad idem malum excitandum in cauſa quoque eſſe pharmaca venenata & erodentia, cujusmodi ſunt Arſenicum, Mercurius ſublimatus &c. ſic & Medicamenta purgantia, non ſolum vehementiora, ſed & mitiora in majori doſi exhibita, neglecto quandoque præſertim regimine, ſymbolum eò conferunt. De ſtudioſo quodam Medicinæ, qui dyſenteria correptus, hanc nil niſi defluxionem eſſe putans, ſuo ipſius conſilio, purgans minus conveniens ſumſerat, maloque in dies in pejus ruente, adhibitisque fruſtra optimis etiam remediis, tandem dyſentericus obiit, videſis PLATERUM *Obſ. lib.* 3. *p. m.* 862. Ada-

man-

mantem impolitum devoratum cruentæ dejectionis, tabis & mortis fuiſſe authorem, recenſet Zacutus Lusitanus *l. 2. Prax. Admir. obſ.* 16. Animalia venenata huic affectui anſam dediſſe, videmus in *Miſcell. Med Cur. A. VI. & IIX. Dec. III. obſ.* 174. Vigiliæ inſuper nimiæ, ſomnus immoderatus, exercitia vehementiora, otium, evacuationes conſuetæ retentæ, ſuppreſſa menſtrua, ſuppreſſæ hæmorrhoïdes, animi parthemata vehementiora, quæ ſecundùm Renat. Cartesium *in tract. de Paſſionibus* maximam in corpus vim exercent, ut quæ omnia ad inquinandos humores valent, ſub cauſis dyſenteriæ remotis contineri poſſunt. De ætate & ſexu non eſt, ut multa dicam, cum non ſolum puerilis, verum etiam juvenilis, & virilis, ob errores in victu, & majorem bilis abundantiam, imò ſenilis quoque, tumque inſuper uterque ſexus, uti exempla à Foresto aliisque annotata docent, hoc mali genere infeſtari ſoleant.

§ XII.

Ad ſigna diagnoſtica dyſenteriæ me nunc accingo. Siſtit ſe primo loco dolor vehemens atque mordax, quem continui ſolutio producit, neque obſtat obſervatio iſta de dyſenteria indolente plane, uti notavit Wedelius *in Miſcell. NAT. Curioſ. Med. Dec. I. Ann. 2. obſ.* 43. cauſa quippe illius in majori malignitate, & corruptione inteſtinorum gangrænoïdea quærenda &c. Sequitur fluxus alvi, ubi ſtercoroſa aut bilioſa primo & mordacia excernuntur, ſub forma materiæ albæ & mucoſæ, poſtmodum inteſtinorum abraſa ſequuntur; ſuccedit dejectio cruoris muco intermixti, tandem ubi exulceratio altiores jam radices egit, carnoſa quoque inteſtinorum ſubſtantia ſimul excidere deprehenditur. Confirmat hoc venerandus noſter Senex *lib. de affection. Sect.* 24. *tr.* 1. *& ſeq.* ubi *dyſenteria* inquit: *cum quis habuerit, dolor adeſt per totum ventrem & tormen*

tormen & egerit bilem & pituitam & ſanguinem combuſtum. Superveniunt his varia e. g. appetitus proſtratus, febres variæ indolis, ſudor, ſitis intolerabilis, carnis colliquatio, frigiditas extremorum &c. quæ tamen non omnibus, neque eodem tempore, & gradu contingunt, ſed pro humorum peccantium benignitate aut malitiâ, motu & quiete, partiumque affectarum majori minorique αἴσθησις ἀσφάλεια & εὐαισθησία, jam manifeſtius apparent, jam vero remiſſius agunt, jamque etiam, ceu frigidus in herba anguis, latitant & abſconduntur. An vero tenuia inteſtina, an craſſa infecta ſint, ex qualitate doloris & ſymptomatum, ut & natura excrementorum & dejiciendi modo concludere poſſumus. Quod ſi enim tenuia laborent, ſymptomata pejoris notæ ſunt, dolor quippe vehementiſſimus circa umbilicum cum ſiti intenſa & nauſea nobis id manifeſtat; ſanguis intime fœcibus immixtus hæret, alvumque non ſtatim poſt tormina æger deponit. Craſſa vero affecta eſſe inteſtina videmus eo, quod dolor non ita acerbus adſit, quia ſtructura eorum magis carnoſa, hinc non adeo ſenſilis exiſtit, ſtatim quoque à torminibus ventris excretio eo in caſu contingit, quoniam craſſa inteſtina tot tantisque convolutionibus, ac tenuia non gaudent, propioraque excretioni dicato loco à natura poſita ſunt, ſanguis in ſuper ſincerus una cum materia purulenta, alvi excrementis ſupernatare ibidem obſervatur. Sunt qui à ſitu indicia deſumunt, atque tenuia laborare inteſtina dicunt, quando dolor ſuperiores partes magis torquet, ſin autem craſſa afficiantur, dolorem in imo ventre magis urgere pronuntiant: Verum αὐτοψία anatomica differentiam hanc non confirmat, ſi quidem per eam inteſtina utraque mire inter ſe circumvolvi atque tam ſuperiorem quam inferiorem occupare locum compertum

tum habemus. Quod ſi vero inquit Horstius *Tom. 2. lib. 4. obſ. 20.* fluxus ſanguineus & purulentus abſque ulla ſtercoris admiſtione obſervetur, indicio id eſſe, totum ventrem, vel omnia inteſtina laborare; nec quicquam in primæ concoctionis ſecretione agere.

§. XIII.

Cauſarum ſigna petenda veniunt ab excrementorum colore: quæ aliquando ſunt bilioſa & citrina, aliquando pituitoſa, & albicantia; interdum nigricantia, viridia, mucoſa, ſanioſa, & cruenta; nam ſi citrina bilem, ſi albida pituitam, ſi viridia & nigricantia atrabilarium humorem (de quo paulo infra) mali cauſam eſſe oſtendunt, ubi tamen *ſemper obſervandum temperamentum, ſexus, ætas, anni tempus, victus regionis, atque aëris conſtitutio,* Hippocr. *ſect.* 1. *aph.* 2. *&* 17. Malignitatem vero fluxui huic conjunctam præcedens anni temporum ſtatus, & epidemica conſtitutio humores in corpore corrumpens manifeſtat; cujus fomes etiam ex ſolo deſeſſu in latrina concipi poteſt. Adeſt præterea fœtor excrementorum maxime ingratus, præter inſignem putredinem ſive corruptionem, ani procidentia, ob nimium alvum deponendi conatum; angina propter inflammationem, à ſanguine maxime ebulliente, & per metaſtaſin ad muſculos laryngis internos transmiſſo orta; delirium, propter ſanguinis ad ſuperiorem raptum hincque exercitatam ſpirituum animalium ataxiam; convulſiones inſuper, aliaq; graviſſima ſymptomata accedunt, pluresq; eodem tempore dyſenteria laborant & moriuntur. Quibus omnibus ſi quis præcedentem ægri victus rationem, temperamentum, ætatem, tempus anni, vitæ genus, idque genus alia adjecerit, & prudenter ſingulorum calculum ſubduxerit,

citius

citius certiusque in neceſſariam cauſæ cognitionem deveniet. Gradus denique dyſenteriæ ſequentia ſigna aperiunt: Si adipoſa quædam pauco ſanguine mixta egeruntur, primum; ſi inteſtinorum ſuperficies interior tenuis, quæ ramentis ſimilis, cernitur, ſecundum; ſi vero veluti carunculæ egrediuntur, tertium dyſenteriæ gradum eſſe dicimus. Et hic ultimus gradus juxta Hippocratis effatum *ſect.* 4. *aph.* 26. lethalis exiſtit.

§. XIV.

Pedem ulterius ad prognoſin affectus noſtri nunc promoveo. Signa vero talia, quæ futura nobis de hoc malo præſagiunt ex privatis notis, ex loco ſcilicet affecto, natura cauſæ, affectibus adjunctis, ab excretis, ægri natura & diſpoſitione commode deſumuntur. Caute vero utique Medicus in prognoſi præſertim malignæ formanda incedat, tum ob famæ periculum, quod facile incurrere poteſt, tum etiam quoniam notante Hippocrate *ſect.* II. *aph.* 19. morborum acutorum prædictiones neq; ſanitatis neque mortis omnino tutæ exiſtant. Quantum igitur ad locum affectum attinet, dyſenteria quæ eſt in inteſtinis tenuibus periculoſior, curatuque difficilior exiſtit illa, quæ in craſſis ſedem fixit, partim ob magnitudinem, multitudinemque vaſorum, nervorumque, partim etiam ob ventriculi viciniam, ubi haut raro, cibi faſtidium, nauſea, vomitus, & per conſequens virium proſtratio conſequitur; cum tamen eo ſtudere debeamus, ut ægro vires, quas ſecundum Galenum *de Meth. Med. L. IX. cap.* 13. conſervare nil aliud eſt, quam vitam conſervare, omni potentia ſuſtentemus. Periculoſum itidem eſſe, ſi inteſtinum jejunum inflammatum fuerit ob he-

 patis

patis viciniam, teſtatur BAGLIVIUS *Prax. Med. lib.* 1. *cap.* 9. §. *de diarrh. & dyſent.*

§. XV.

Ex cauſæ natura varia quoque formari poſſunt prognoſtica: quo deterior conditio humoris peccantis, eo pejor dyſenteria. Lethalis eſt, quæ ab atrabile incipit HIPPOCRATES *ſect.* 4. *aph.* 241 & GALENUS *l. de atrabile* dixere, quæ vero verba non ita ſumenda ſunt, ac ſi ab atra bile mors acceleretur, ſed potius quoniam metus inteſtinorum ſphaceloſorum, vel gangrænoſorum ſubeſt. Non enim multum ſtatus hic differt à cancro exulcerato, qui cum in exterioribus partibus curatu ſit difficilis, multo magis in interioribus erit. Vid. AETIUS *tetr.* 3. *ſerm.* 1. *cap.* 43. quapropter & Cous *aph.* 23. *ſect.* 4. ita inquit: *quibuscunque ex morbis acutis, aut ex diuturnis, aut ex vulneribus, aut aliter quocunque modo extenuatis, bilis atra vel quaſi ſanguis niger prodierit, poſtridie moriuntur.* Mala quoque dyſenteria eſt, quæ fit à ſincera dejectione. HIPPOCRATES *ſect.* 7. *aph.* 23. Peſſima ſi fiat à pituita ſalſa. GALENUS *in comment. aph.* 12.

§. XVI.

Ab affectibus adjunctis, qui dyſenteriam vel præceſſere, vel concomitantur, vel ſequuntur, ſequentia prædici poſſunt. *Ructus aut crepitus ventris dyſenteriæ ſuperveniens bonum. Bona quoque eſt excrementorum non in deteriora facta mutatio. Sect.* 2. *aph.* 14. *lienoſis dyſenteria ſuperveniens bonum. Sect.* 6. *aph.* 48. cui tamen judicio contrariari videtur antecedens *aph.* 43. *ejusd. ſect.* Sed explicat locum hunc GALENUS *in comment. hujus* 43. *aph.* bonumque eſſe inquit, ratione transpoſitionis, & evacuationis humorum craſſorum

rum & melancholicorum, qui lieni inhærent; aquam vero inter cutem ſubvenire poſſe; ſi hepar in læſionis ſocietatem rapiatur. Vid. quoque SINIBALDUS *lib.* 2. *Antiph.* 2. *Hippocrat.* l. 2. *& ſeqq. & Antiph,* 23 *à Mania dyſenteria aut hydrops aut* ἔκστασις *bonum* 7. *Aph.* 5. Mulieribus gravidis dyſenteriam ſupervenientem fatalem fuiſſe exempla apud Authores proſtant. E contrario vero nullum plane easdem à tali morbo incurriſſe periculum HIPPOCRATES *lib.* 5. *epid. ſect.* 33. de EPICHARMI uxore memorat, illam antequam pareret, dyſenteria & dolore vehementi laboraſſe, ſucceſſusque excrementa ſubcruenta & mucoſa fuiſſe, ubi vero peperiſſet, ſtatim eſſe ſanatam: hujusque iisdem fere verbis iterum *lib.* 7. *epidem. ſect.* 49. *tx.* 10. *ſeq.* mentionem facit quamvis itaque, ſi mulieri gravidæ alvus primum fluat, periculum ſit ne abortiat, patet tamen ex dictis, non ſemper ita evenire, idque exempla paſſim occurrentia confirmant. Vid. PLATERUS *lib.* 3. *obſerv. p.* 861. SENERTUS *prax. lib.* 3. *part.* 2. *ſect.* 2. *cap.* 7. WEDELIUS *in Miſcell. Nat. Curioſ. Dec.* 1. *Ann.* 3. *obſ.* 17. *p.* 22. interim ſi à pariendi tempore longius adhuc abſint, abortum eo magis eſſe timendum, obſervavit laudatus SENNERTUS l. c. in fœmina quadam nobili, quæ fœtum mortuum edidit, ipſa tamen à dyſenteria liberata eſt.

§. XVII.

Graves eſſe dyſenterias, quæ cum vehementi inflammatione oboriuntur, quæque cum febre & deperditione appetitus fiunt annotavit AETIUS *tetrab.* 3. *ſerm.* 1. *cap.* 43. quæ poſt abſceſſum eruptiones dyſenteriæ fiunt, graves ſunt, dicente eodem Authore *l. c.* ſingultus dyſenteriæ ſuperveniens ut plurimum lethalis. SENERTUS *l.* 3. *part.* 2. *ſect.* 2. *c.* 7. Plethoricos & cacochymicos, choleri-

cos, item & ſanguineos præ aliis gravius ab hoc malo infeſtari, quotidiana experientia edocemur. Si tormina immania ſubito evaneſcunt, extremorumque frigus ſupervenit, manentibus cæteris ſymptomatibus gravioribus, tunc inflammationem in ſphacelum abiiſſe ratio dictitat; ad mortem hinc præparandus erit æger. Senes atque pueros, ægerrime morbum hunc ferre quotidie videre eſt: quo magis porro epidemice graſſatur, eò majus periculum portendit. Oppreſſiones pectoris, lipothymias, ſimultaneas virium ſuppreſſiones, aphtas atque convulſiones, dyſentericis maxime eſſe pernicioſas nullum dubium eſt. Petechiarum acceſſus mortem præ foribus nuntiat. Quibus vomitus cum inſignibus anxietatibus cardialgicis in ſtatu hujus morbi junguntur, præcipue cruenti, citò moriuntur, ſi potulenta cum ſonitu & ſtrepitu, das es kollert/deſcendunt, tunc hora mortis adeſt noviſſima.

§. XVIII.

Excreta quo magis receſſerunt à ſtatu naturali, eo graviorem indicant eſſe affectum. Si Carunculæ cum materia fœtida excernuntur, fatale eſt ſignum; hinc Galenus, quando partes, inquit, adeo magnæ inteſtinorum excernuntur, in dyſenteria, ut fruſtula veluti carnis referant, lethalem Cous ait eſſe morbum, cum neque caro concreſcere, neque cicatrix obduci in tali exulceratione poſſit. Quamvis autem Hollerus ipſis licet carunculis excretis, dyſenterias tamen ſanatas obſervarit; fuiſſe tamen interiorem tantummodo tunicam haud ab ratione arbitror. Si excrementa porri ſpeciem habeant, ſintque nigra, plurima, varia & graveolentia, ægrum perire proclamat. Supra laudatus Aetius *tetr.* 3. *Serm.* 1. *cap.* 43. excrementa alvi nigra peſſima Hippocra-

TES

TES *ſect.* 4. *aph.* 24. idem in *Coac. Prænot. aph.* 631. inquit: *Exitialis eſt dejectio pinguis livida cum odoris gravitate* Vitioſa porro ſunt prærubra excrementa quarto die apparentia. Dejectiones mere ſanguineæ, ita ut ſanguis ſincerus excernatur, ut plurimum lethales ſunt, quod non in paucis hic loci obſervavit NENTERUS cujus *fundamenta Medicinæ Theoretico-Practicæ* adire quis poterit. Hoc adhuc notandum, quod ex natura, diſpoſitione ætate; ſexu & viribus quædam præſagire liceat; nam quo validior natura, quo firmiores ſunt vires, eo debilior, ſuo reſpectu eſt dyſenteria. In ſumma quo plura adſunt ſigna prava, eo periculoſior eſt ſtatus, quo pauciora, eo curatu facilior.

XIX.

Cum Medico non ſufficiat morbum quo corpus humanum infeſtatur Theoretice ſolummodo tractaſſe, ſed qua ratione infenſiſſimus talis ſanitatis hoſtis debelletur oſtendat, explicatis hactenus dyſenteriæ parte affecta cauſis atque ſignis,ad curam ejus propero. Conſiſtit autem ea in recto atque legitimo ordine, & ratione à rerum ſalubrium cognitione procedente, ad inventionem remediorum per ſuas indicationes. Ut vero curatio methodice inſtituatur; ad indicationes quæ hic occurrunt, diligenter reſpiciendum eſt. Ante omnia itaque humores vitioſi evacuandi, acrimonia eorum temperanda; & ſi malignitas conjuncta fuerit, alexipharmacis hæc corrigenda; impetus humorum derivatione & revulſione ab inteſtinis arcendus, fluxus adſtringentibus ſedandus; dolor mitigandus; ulcus denique mundificandum & conſolidandum eſt. Quos ſcopos ut efficaciter impleat medicus, materia remediorum uſu atque ratione probatorum, ex triplici regno

gno ſeligenda ipſi erit. Pharmacia primo loco ſua nobis commendat auxilia, ubi circa primam indicationem, evacuationem nempe humorum, quæſtio venit, utrum purgantibus in dyſenteria uti poſſimus? Fuchsius *l. 2. paradox. cap. 15.* & multi alii purgantia in hoc malo plenarie interdicunt. Sunt multi tum authoritate Avicennæ qui ventrem in ventris ſolutione ſolvere, plenum timoris eſſe dixit, tum exemplis Hippocratis & Galeni; qui aliquoties, ubi de dyſenteriæ curatione egerunt, purgationis nullam plane mentionem fecere; tum denique rationibus; notum enim eſſe dicunt, methodo medendi contrarium, ſi humores peccantes ad partem affectam trahantur, quod fieret, ſi in dyſenteria purgaretur. Ego ratione, authoritate & experientia multorum celeb. Medicorum motus arbitror, purgantia, cæteris paribus, locum utique invenire; quando enim purgamus, humores repetitis vicibus, minoreque mora (quæ inteſtinis noxia) evacuantur, natura præterea humores remanentes, quod in magna copia non amplius adſint, facilius temperat & vincere poteſt, quod humoribus nondum abſterſis & evacuatis, ſane non accideret. Eſt autem ab initio ſtatim purgandum, ut humor inteſtinis adhærens exulcerationem efficiens, abſtergatur, & evacuetur. Leniora vero ſint illa purgantia, uti e. g. Mannam innoxie & maximo cum effectu propinamus, & quidem cum lacte, aqu. plantag. addita, quippe quæ ratione particularum conſtitutivarum, non ſolum laxat, ſed & abſtergit & materiam acrem vellicantem atque rodentem involvit. In uſum porro trahi poteſt ſyrupus roſarum pallidarum, præprimis rhabarbarum vel in ſubſtantia vel infuſione, vel decoctione, electuarium lenitivum, ſyrupus de cichoreo cum rhabarbaro &c. Laudantur inſuper tamarindi; neque

que horum aciditas cum Foresto timenda eſt, dummodo cum Caſſia præbeantur, ſerumque lactis ſuperbibatur. Vid. Sydenhamus *oper. ſect. cit. p.* 163. Sunt qui à purgantium uſu plane abhorrent ægri, iis vero, antequam adſtringentia in auxilium vocemus, juſcula carnium recentia, quibus oleum olivarum vel amygdalarum dulcium, aut butyrum recens inſulſum, admiſceri poterit, per aliquot dies exhibere conveniet, uti bene monet Fabricius Hildanus *de dyſent. c.* 8.

§. XX.

Ex dictis facile colligere poſſumus fortiora illa purgantia, veteribus olim uſitata, qualia ſunt Agaricus, Colocynthis, Aſarum, Scammoneum, Gummi gutta, Turbith &c. in uſum utique non eſſe trahenda, malum quippe ea non leviter exaſperant. Evolv. hac de re Sebizius *Exercit. Patholog. p.* 424. *ſqq.* Quid de vomitoriis cenſeam? limitando reſpondendum arbitror. Quod ſi enim venenum vel pharmacum malignum, ingurgitatio fructuum fermenteſcibilium &c. ſit dyſenteriæ cauſa, & hujus quædam adhuc pars in ventriculo contineatur, vomitoria omnino locum habebunt; inter quæ omnibus aliis longe præferenda erit radix Ipecacuanhæ (quippe quæ non ſolum emetica virtute gaudet, ſed & roborante & alexipharmaca;) ſin autem ab acribus humoribus ad inteſtina defluentibus malum hoc excitatum fuerit, cautius agendum eſt, ob rationes apud Sebizium *l. c.* ſufficienter prolatas. Si porro febris maxime urget & malignitas humorum adeſt, conſultius eſt, ab omni purgatione abſtinere, medendi vero methodum contra febrem dirigere; diaphoretica igitur & quidem alexipharmaca utramque impleant paginam oportet. Vid. alleg. Horstius *tom.* 2. *p.* 180. Binningerus *Cent.* 2. *obſ.* 88. ſic

Fabricius Hildanus *lib. de dyſent.* refert: quandam Principiſſam, cum poſt eſum fungorum dyſenteria aliisque ſymptomatibus tam graviter laboraret, ut in agone verſari videretur, ſumptis lapid. Bezoard. gr. 40. in ſudorem calidum univerſalem incidiſſe, moxque ſubſecutum fuiſſe ſomnum, ex quo brevi convaluerit Quoad alterantia, ſicubi dyſenteria fuerit cum febre conjuncta, de qua Horstius *Tom.* 2. *lib.* 4. *obſ.* 20. aliique conſulantur, julepi refrigerantes, incraſſantes, & anodyni ex ſyrup. è ſucc. citr. berb. ceraſ. acid. plantag. aqu. roſ. plantag. &c. proderunt. Vid. Binningerus *Cent. V. obſ.* 1. aliaque id genus, quæ calorem p. n, temperant, in uſum vocare licebit: non minus emulſiones è ſem cydon. alth. melon. & papav. alb. par. & aquis convenientibus paratæ additis abſorbentibus: imò etiam quandoque in bilioſa & ſeroſa dyſenteria uſum acidularum Swalbacenſium eſſe concedendum experientia edocuit. Vid. *Miſcell Nat. Carioſ. Dec. I. Ann.* 3. *obſ.* 172. *&* *Ann.* 2. *obſ.* 212. quod tamen bene ſubducta prius ratione fieri debet.

§ XXI.

Clyſteres hoc in malo maxime tutos, utiles, imo etiam neceſſarios eſſe, omnes unanimiter Medici conſentiunt, præprimis craſſioribus inteſtinis affectis, medicamentis per os aſſumtis præferuntur, quoniam facilius locum affectum attingunt, eaque ratione plus virium exercere poſſunt. Sint illi in principio purgantes & detergentes, poſtea adſtringentes & conſolidantes. Parari verò poſſunt ex decoct. hord. vel furfur. cum radic. liquirit. flor. roſar. verbaſc. & ſoluto in colatura melle roſato, ſaccharo rubr. ſive thomæo & vitell ovorum; omiſſis oleis & ſale, ob rationes à Minderero *in Medicin. Militar.*

litar. p. 246. *& ſeq.* & WEDELIO *de extemp. medicam. compoſ. ſect.* 2. *cap.* 5. allatas. Poſſunt etiam furfures cum flor. chamom. decoqui in hydromelit. q. ſ. & in colat. ſolvi vitell. ovor. & ſacchar. thom. uti videre eſt apud BINNINGEUM *Cent* 5. *obſ.* 6. Enema ex lacte bubulo recenti & ſi lubet, prius chalybeato, therebinth. venet. vitello ovi ſoluta & melle roſato paratum commendat, talique & quidem unico, circa initia, adeoque mature injecto ſe non ſemel dyſenteriam cum rejectione puris conjunctam curaſſe aſſerit PAUL. BARBETT. *Prax. lib.* 4. *c.* 4. quod ſi una evacuare fuerit animus, Rhab. toſt. pulveris. elect. diacartham. &c. præſertim in dyſenteria abſque febri juxta exemplum HORSTII *Tom.* 2. *p.* 177. non incommode addetur. Renuentibus vero Clyſteris uſum ægris, quædam per os aſſumenda exhiberi poterunt; ſic PLATERUS *lib.* 3. *obſ. p.* 860. mulieri cuidam mixturam ex ☍ amygd. d. rec. expr. cum ſyrup. de papav. & roſ. rubr. ſicc. tepide ſumendum propinavit. Dudum quoque GALENUS docuit; purgantia per os aſſumpta maxime quidem inteſtinis tenuibus affectis convenire, tamen etiam utilia eſſe, ſi craſſa affligantur. Videant vero ii, qui intempeſtivo pudore adducti, clyſteres admittere recuſant, ne cum BARTHOLDO iſto apud FORESTUM *lib.* 22 *obſ.* 36. mortem ſibi accelerent, ſicque ſtultitiæ ſuæ pœnam luant. Enema vero detergens & demulcens ſequens eſſe poterit: ℞. rad. alth. ℥j. flor chamom. verbaſc. āā. mß. ſem. lin. cydon pſyll. āā. ℈ij. hord. mund. p. 1. decoquantur in lacte vel juſculo, in colat. ſolv. ſev. hirc. add. ☍ roſ. Acrimonia ſic humorum, uti §. XIX. indicatum, optime compeſcitur. Cum autem febris, ſi urget, potior ratio habenda ſit, quovis manè mixtura ſimpl. S. C. in uſum trahi poterit, hoc enim modo miaſma malignum

ad

ad peripheriam corporis ſenſim ſenſimque expellitur, adeoque inflammatio ab inteſtinis quadantenus arcetur. Faciunt huc quoque temperantia, abſorbentia & febri proſpicientia, e. g. ocul. ♋ ppt. conch. ppt. cryſt. mont. corall. r. matr. perl. ppt. ♁ diaph, bezoard. min. ⦶ depur. pulv. rub. panon. lap. ſmaragd. bezoar. or. & occ. elect. diaſcord. Frac. lap. hæmatit. Alexipharmaca, ſi malignitas juncta fuerit, hic non ſunt ſpernenda, temperata vero ſint neceſſe eſt, quoniam calida nimis febrem & ſymptomata alia adaugent. Non minus torminibus & ventris doloribus tanquam ſymptomati urgentiori occurrendum vel internis nempe pulv. è ſpec. diatragacanth. frig. gumm arab. cryſt. mont. vel mixtur. ſi febris abeſt, ex aq. menth. criſp. theriac. coel. fœnic. carmin. Schroed. cinnam. cydon. cui laud. liquid. Sydenh. parum addi poterit, vel externe emplaſtro è Theriac. Andr. Mithrid. Damocr. vel embrocatione ex ol abſynth. cumin. carv. hyoſcyam. ol. paregor. Wed. &c.

§. XXII.

Dixi §. XIX. in indicationibus impetum humorum derivatione & revulſione ab inteſtinis arcendum eſſe, quamvis vero clyſteres, quorum §. anteced. mentio facta eſt, id ipſum efficiant, attamen de venæſectione, quæ huic indicationi quoque ſatisfacere poteſt, dicere quædam neceſſarium duco. Suadent aliqui V. S. nonnulli diſſuadent. Ego adhibita tamen diſtinctione affirmantium vices ſubeo, ſtatuoque venam ſecandam eſſe, ubi nimirum adſit vel vitioſus vel copioſus ſanguis; urgente itidem febre; vel imminente inteſtinorum Phlegmone; ubi item conſueta aliqua evacuatio ſit ſuppreſſa; conſentientibus naturæ viribus &c. quo quippe in caſu genero-

ſum

ſum hoc remedii genus neutiquam emittendum eſſe arbitror; præterquam enim quod ipſa hoc ſuadeat indicetque ratio. Vid. SEBIZIUS *Exercit. Pathol. pag.* 423. *ſeq.* conſtat etiam experientiæ fide v. ſ. in dyſenteria ſæpe numero feliciter fuiſſe adminiſtratam, cujus aliquot exempla annotavit DONAT. ANTON. ab ALTOMARI *de emedend. corpor. hum. mal. c.* 24. Reſpiciendum tamen ne adſit contra indicans, virium nempe proſtratio, alias ea interdicitur. Proinde ſtatim initio adhibenda, ſtantibus viribus, ſit ea non copioſa una vice, ſed parca, & aliquoties iterata.

§. XXIII.

Præmiſſis his ad ſiſtentia doloresque ſedantia propero. Ex adſtringentibus præcipua ſunt extract. cort. caſcarill. pulv. dyſenter. Croll. ſpec. & confect. de hyacynth. conſerv. roſ. rubr. ſyrup. roſ. ſicc. conſerv. ſymph. dyacyd. ſimpl. item aq. adſtring. variæ. extract. tormentill. Initio tamen cavendum eſt, ne fluxus intempeſtive ſiſtatur, graviſſima enim exoriuntur inde ſymptomata, v. g. inſania, pleuritis, hydrops, vomitus ſanguinis, teſte GALENO *l.* 7. *de venæ ſectione contra Eraſiſtratum*, *Hollerio comment. prim. ad aph.* 30. *l.* 6. *ſect.* 2. *Coac.* Circa uſum itaque adſtringentium plerique Practicorum merito monent, ne intempeſtivus, vel nimius ſit; etiamſi dyſenteriæ curationem aliquando ſecundum ſymptomata ſua, atque differentias, gradusque mutari debere, recte notet DECKERUS *in prax. Barbett. p.* 177. idque ipſa methodi ratio requirat; cujus porro indicationes, dolori, qui fere primas, ut ſupra vidimûs, hoc in affectu partes obtinet, anodynis non modo, verum etiam narcoticis obviam eundum eſſe oſtendunt. Hinc Clyſteres anodynos ex rad. lil. alb. alth. liquir. herb. alth. malv. melilot. ver-

baſc. linar. cum fl. ſummit. aneth. fl. chamom. ſambuc. roſ. papav. rh. &c. in lacte coctis, additisque in colatur. ſyrup. papav. err. vel mucilagin. ſem. cydon. lact. extr. cum ſevo hircino & vitell. ov. &c. à plerisque commendari Medicis, atque in uſum vocari conſtat. Præter hæc ingredientia non pauci narcotica, v. g Philon. Rom. ipſumque Opium admiſcere ſolent. Frequentius vero laudanum opiatum per os ſumendum propinari conſtat, ita ut nonnulli id cum purgantibus quoque exhibere dubitent, uti apud SYLVIUM & BARBETTE aliosque videre eſt. Sed caute his mercandum eſſe puto, quoniam narcotica in dyſenteria ſæpe necrotica evadunt; uti id exempla funeſta ſufficienter probant. Topica quoque anodyna & adſtringentia ſuam merentur laudem; non obſtantibus iis, quæ à quibusdam in contrarium afferuntur. Vid. SEBIZIUS *Exerc. Pathol. p.* 428. Scopo huic inſerviunt ungt. anodyn. comitiſſ. 🝆 menth. verbaſc. aneth. chamom. nuciſt. empl. diaphœn. cum theriac. & croc. ♂ adſtr. diapalm. balſam. Peruv. &c. Quod ani procidentiam, quæ ſæpius, item teneſmum qui ordinarie in dyſenteria ſeſe manifeſtat, attinet, præcaveri & mitigari illa poterunt fotu ſolo ex cineribus calidis vaſi, e. g. matulæ aut ſellæ perforatæ, incluſæ, injectis, addito aliquid maſtichis, vel thuris ſeu etiam picis. Præſentem vero profligamus panibus illis è cortice querno ſubactis, quorum portioni, vinum rubrum affundatur & vapor ano excipiatur. Teneſmus lenitur mucilagine ſem. pſyll. & ol. verbaſc. aut flor. chamom. ſambuc. verbaſc. ſacculo inditis qui in lacte coctus parti dolenti applicetur; vel ſuppoſitorio e ſev. hirc. ſem. papav. alb. opio & ol. amygd. d. parum.

§. XXIV.

§. XXIV.

Ad ulceris denique curationem, progredior. Indicat autem ulcus ſui conſolidationem, cum ſit continui ſolutio. Conſolidatio igitur ut recte inſtituatur, ſordes ante omnia per mundificantia tollendæ, tum carnes per ſic dicta ſarcotica generandæ, denique cicatrix inducenda. Sylvius hunc in finem commendat præ aliis omnibus Balſamum Sulphuris vel aniſatum gratiorem, vel cum ſuccin. oleo paratum potentiorem, ad gtt. ij. vel iij. cum ſua mixtura *l. c.* §. 53. aut decocto vulnerario §. 52. deſcripto, aliquoties de die ſumendum. Conferunt inſuper clyſteres ex rad. conſol. maj. tormentill. herb. plantag. ſanic. pyrol. polygon. anſerin. flor. verbaſc. hyper. roſ. ſem. plantag. in lact. chalybeat. coct. quibus deinde colatis addi poſſunt, terr. ſigill. bol. armen ℅ roſ. complet. cydon. vel in decoct capit. vervec. & ped. vitul. absque ⊖e parato. rad. ſymph. & torment. cum fl. hyper. coquantur & colatura, ſed minori in doſi applicetur.

§. XXV.

Diſſertationem tandem diæta obſigno; quæ legitimo uſu earum rerum, quas Medici non naturales vocant, abſolvitur. Aër ad caliditatem potius quam frigiditatem inclinet, ut ita poris apertis ſervatis materia maligna tranſpirare poſſit. Cibus & potus ab initio tenuis ſit & abſtergens, ex ptiſana hordeacea, avenacea, item aq. pane toſto correcta addito panum nuciſt. Ind. panatella, aliisque jusculis convenientibus, item ex oryza milio, amylo. Convenit etiam lac, ſed obſervatis cautelis à Sennerto *l. c.* notatis, in declinatione morbi carnis vervecin. pullor. perdic. &c. aliquid concedatur. Vi-

tentur

tentur porro omnia acria, acida, nimisque dulcia. Si febris abſuerit, vinum rubrum parca in copia bibendum permittitur. Motum quod ſpectat, vitandus eſt, quoniam fluxum irritare poteſt. Quies è contrario amplectenda. Somnus, quoniam vires reficit, fluxum ſedat, & dolores ſopit, diligenti ſtudio procurandus. Animi pathemata, præſertim vehementiora freno coërcenda ſunt, iſtis quippe humores in corpore agitari atque conturbari maximopere ſolent. Et hæc de dyſenteria monuiſſe placuit. Fateor equidem multa adhuc addenda ſupereſſe, ſed quoniam non integrum librum aut tractatum, ſed Theſes ſaltem quasdam conſcribendi in animo habui, hæc ſufficiant. D. T. O. M. quod conatibus meis hactenus favere & Spiritus ſui Sancti gratia mihi adeſſe voluerit, immortales ex toto pectore perſolvo grates. Eidem ſit Laus, Honor & gloria in ſempiterna ſæcula.

T A N T U M.